ſto eſt repletus. Hic faſcia involutus quibus
valebat impenſis eiuſdem ſpiritus ſancti templum
edificabat. Ille de anu parente xpm indue
prodit. hic de iuvene matre xpm ab infancia
eſt ſecutus. Abſit enim ut nos quamquam ineffabilis
meriti ſit apud deum iſte ſanctus beato illum equi
peremus iohanni baptiſte cum dominus dicat.
Inter natos mulierum non ſurrexit maior
iohanne baptiſta. ſed ut fragiles in quantum
poſſumus et quibus poſſumus viribus laudamus
magnalia dei. Quis enim audit parvulum
in die ſemel et non amplius mamillas bi
bere matris. et facile credit. quis non
obſtupeſcit tanto parvulus auditu. ſed ſi do
minum in evangelio dicentem attendimus.
pater meus uſque modo operatur et ego operor.
omnis intencio ſopitur. omniſque abſcedit incredu
litas. Puellaribus in annis ut patriarcha
iacob ſimplicitate domi tuſ ſacus cepit bone
indolis adoleſcens eſſe et non ſicut illa etas
aſſolet laſciviam complexus eſt mundi. ſed
nunc parentum comitatus veſtigiis. nunc
ſolus eccleſiarum terebat limina. et quod ibi
de ſcripturis patulo advertebat auditu
non immemor amariolo condebat pectoris
Ubi autem utroque parente orbatus eſt. ſepius
illud evangelicum ante ſue mentis ducebat
oculos. niſi quis renunciaverit omnibus que
poſſidet non poteſt meus eſſe diſcipulus. et cum
anhelaret ad perficiendum quod pio ver
tebat in pectore. iuvenilem formido cepit
titillare mentem. ne ſaboicalis percelleret
aura quicquid pro xpo facere diſponebat. Her
ſecum ad deum vero cunctum deſiderii ſui
pandens velamen deprecabatur ut ille qui
habet omnium ſcienciam inſpirare dignare
tur ei qualiter de tantis ſibi relictis opibus
ſic ordinaret ut multa laude humana
conſpectui placeret divino. Talia cogitante
accidit ut quidam conciveque eius nimium
locuples ad tantam veniret inopiam quod
nec etiam neceſſaria vite haberet. Quid
plura. Ingruente inedia tres virgines
quas habebat filias quarum nuptias
etiam ignobiles ſpernebant viri for
nicari conſtituit ut earum ſaltim in fami
commercio infelicem ageret vitam. Pro
pudor extimplo fama mali tanti qua
non aliud velocius ullum mobilitate viget
totam peragrabit urbem et multiplici populos
ſermone replebat. Ad ubi ſanctus comperit
condoluit miſerrimo homini atque virginum
exercas ſtuprum decrevit omnino ex ſuis
abundanciis eorum ſupplere inopiam. ne
puelle nobilibus orte natalibus lupanari
macularentur infamia. Sed cum nollet
alium ſui facti niſi xpm habere contemplatorem
cepit explorare temporum vires quo id

ſic operaretur ut etiam eos lateret quibus fiebat.
Eya nunc famule dei exime pauperiem pro
xime filiarum ſcortum. tellus tue mentis
hactenus ſancto exculta vomere duplum ſubito
prorumpat in fructum. ut ex uno famelicum ſacietur
ingluvies. et ex alio virginum redimatur inceſtus.
Non occultes ſerentis pro fruges que carent
zizania. Aperi theſaurum tuum ubi gaze pie
tatis reſultant. nec paveas adulatorum fomitem
quia non exurit flamma viciorum divicias
quas approbat xpc. non timet illa edificacio ignem
eternum que fabricatur opifici ſummo. Rupe
morulas omne opus perfice bonum ut videant
ymmo ſenciant homines. et glorificent patrem
tuum qui in celis eſt. Acta ergo cuiuſdam noctis
hora ſumens non modicum aurum ligatumque
in panno perrexit ad domum viri. quam undique
circumſpiciens per feneſtram quam competentem vide
batur clam intro proiecit. clamque diſceſſit. O
novam iacob ſtropham ille commentatus eſt qualiter
laban mercede non amitteret. hic autem ut
celeſtibus non privaretur commodis. Ille in can
alibus decorticatas poneret virgas ut va
ria queque acciperet. hic ut eliſii varia oble
ctamenta quiverit adipiſci. edis intra
clauſtra ligatum proiecit obrizum. Hic eſt magiſter
bone tuus non ſurdus auditor qui iuſſis ob
temperans tuis duo implevit precepta.
et miſeratus eſt hominem mendicum. et opus
ſic peregit dextere ut ignoraret ſiniſtra.
Mane itaque facto cum ſurrexiſſet homo aurum
quod reperiſſet illud dirigit primum at tunc
quanto geſtivit gaudio. quantaſque deo gratias
egit. ſi quis velit ex obortis eius lacrimis
quas magnitudine effuderat leticie ad
vertere poteſt. Tamen aliquantiſper ſciſcitandus
eſt vir iſte de opinata ſua exultacione. Dic
ergo age rogo te homo. cur tanto exultas
tripudio. hactenus enim lugubrem tuum
vultum oſtendebas. nunc te hilarem cerno. Bene
inquid letari me vides quia dominus clemens
neſcio per quem preſtitit vite mee ſubſidium
quo carere queam infamia quam inminitus
incurrebam. Cui ergo aſcribis impenſam tibi
benignitatem. forſitan fidei tue. Perſiſg illi
O temerancia lingua viri. Ante paululum
tante te oſtendiſti infidelitatis ut temptatus
non gratias ageres. ſed proſtituere decerneres
templum ſpiritus ſancti. et nunc te aſtruis dignum
huius muneris fuiſſe. Quale inquis templum.
Vis ſcire quale. Audi vas electionis quo
clamore commendet illud. omnis inquit qui caſte
vivit templum dei eſt. et ſpiritus ſancti eſt ſedes.
Si ita eſt. ymmo quia ita eſt. quam ob rem tu
filias tuas fornicari mandabas. Quia
inedia opprimebar. Et quare non laborabas
propriis manibus ſicut apoſtoli fecerunt. quod non tam

License: CC-BY-NC – St. Gallen, Kantonsbibliothek, Vadianische Sammlung, VadSlg Ms. 70, f. f.%20106r – Casus Sancti Galli; Vitae sanctorum (http://www.e-codices.ch/en/vad/0070/f.%20106r)